

JOH. NICOLAI BAUMANNI
Mœno-Francofurtensis,
Med.D.

DISSERTATIO
INAUGURALIS
DE

T A B A C I

V I R T U T I B U S,
U S U E T A B U S U :

publicè habita

in

BRABEUTERIO ACAD.
BASIL.

24. FEBRUAR.

Anno

EXILIVM est LanX fIDeI.

1629.



BASILEÆ,
Impensis JOHAN. JACOBI GENATHII.

Catalog



rum solummodò ornatum ac splendorem spectant, flosculos ac pigmenta notant, horum concinnam ac rotundam observant structuram, gestum motumq; corporis venustum expendunt, attendunt: verùm etiam ad dicendum delectam observant materiam, ponderant peracutè argumenta, num aut iis, quæ dicta, contraria, aut genere ipso remota ab Auditoribus, aut alio aliquo cum vitio conjuncta sint, mente ac ratione contemplantur. Verùm si hac cogitatione suffusus ac debilitatus considero, me non hunc conscendisse locum ostentandæ alicujus vel eruditionis, vel eloquentiæ gratiâ, sed commotum præclaris & salutaribus in celeberrimâ hac Academiâ legibus, quæ volunt, mandant & urgent, quòd si quis hac in cathedrâ Lauream Apollineam affectaverit, eum ante impositam Apollinis corollam, Quæstionem aliquam Medicam dissolvere cogi; si inquam considero, leges has observandas esse; si exempla aliorum doctissimorum Candidatorum, qui ante me ex hoc loco Orationes habuerunt Doctores, intueor; si Academiæ hujus consuetudinem, quam ego ut utilitate fructuosam, oblectatione jucundam, usu necessariam, & probo vehementer, & quantum quidem mea fert tenuitas, servare constitui, ratione tanquam æquissimâ lance omnia diligenter pondero; maximè recreor & summâ ad id, quod facere decrevi, peragendum voluptate pertrahor. Dabitis ergo mihi veniam, *Auditores Magnifici, Nobilissimi, Amplissimi, Reverendi, Consultissimi, Experimentissimi, Doctissimi, Humanissimi*, majoremq; obedientiæ & conatui qualicumq; meo, quam eloquentiæ vel ingenii præstantiæ tribuendam esse existimabitis.

Cogitanti autem mihi potissimùm, quid in præsens
traçian-

tractandum, huicq; loco dignissimum, ad manum sumerem; inter alia omnia Themata, utilissimum Thema Thema proponitur. visum fuit Tabacum, ad quod tractandum ansam præbuit ingens ille & assiduus hujus fumi usus, imò abusus potius; de cujus nominibus, differentiis, loco natali, præparatione, virtutibus, an & quibus insuper hujus fumi per Tubulum suctio conveniat, & in quibus morbis usui esse possit, verba faciemus.

Galenus, sacra nostræ Medicinæ Antistes, 2. M. M. c. 2. consultit materiam aliquam pertractaturis, ut præ cæteris definiât, quid sit, de qua verba instituenda. Hujus filum hîc ego quoq; sequuturus, & de Tabaco dissertaturus, Tabaci definitionem & alia cognitu necessaria præmissurus sum.

Est itaq; Tabacum nihil aliud, nisi herba quædam, Definitio. primò ex Indiâ Occidentali allata, variis liquoribus præparata, & ab hominibus in usum vocata.

Nomina huic herbæ varia variis ab Authoribus fuerè Nomina Tabaci varia. imposita, imò tot indita, quot ferè Authores & usus experti fuerint. Primum nomen erat, *Petum*, sive *Picielt*, Petum, Picielt. ab Indis Brasilianis, sicuti vult *Christoph. à Costâ*, inditum, indeq; primò in Hispaniam, quibus *Tabaco* nomen placuit, undè postea in Galliam, & tandem in Germaniam translatum. Dicitur etiam *Herba sancta*, vel

Sana sancta, propter divinas ejus variis in morbis curandis virtutes: tales enim morbos curavit, & curâsse creditur, quales nulla herba unquam curâsse legitur. Herba sancta. Sana sancta.

Vulneraria Indica nonnullis indigitabatur, quia vel Vulneraria Indica. Indi ipsâ in curandis ulceribus & vulneribus utebantur; vel quia hodiernâ luce in illis curandis adhibetur. Indica verò dicta, quia ex Indiâ Occidentali allata erat.

Nicotiane nomen ei quoque inditum, à primo ejus Nicotiana.

in Gallia cultore Joanne Nicotio Nemaufensi, Francisci II. Galliarum Regis Consiliario, ac Libellorum postmodum & Postulationum supplicum in Regia Magistro, qui hanc plantam in suo horto, tum propter ornatum, tum etiam ob virtutes coluerat. *Regina Herba* etiam vocabatur, quod Galliarum Reginam ab incurabilibus antiquis ulceribus liberaverat & persanaverat. Herbaristis, ut *Dodonæo*, *Camerario*, *Gesnero*, *Mathiolo*, & aliis, *Hyoscyamus* dicitur, & meam quidem sententiam non male, addito tamen vocabulo *Peruviano*. Nam revera ad nullam aliam speciem rectius referri poterit, quam ad Hyoscyami species. Peruvianus autem dictus, quod ex insula Peru Dodonæo fuerat transmissa hæc planta. Qui plura desiderat nomina, leget *Mathiol. in Dioscor. l. 4. c. 64.* Communiter Latine, Hispanice, Gallice, Anglice, Belgice, Germanice, *Tabacum*, *Tabaco*, *Tabac*, *Tobac*, *Taback* appellatur; adeo hæc herba apud omnes nationes nota, ut ulteriori explicatione, quid & qualis sit, non indigeat.

Regina herba.

Hyoscyamus.

Nomen vulgare.

Quod ad Hyoscyamum referri possit hæc planta, ipsius flores & vascula oblonga acuminata, cum virtutibus ipsius, demonstrant. Hoc enim modo describitur à *Mathiolo* citato loco: *Nicotiana major latifolia, ex radicibus albis in multos ramos fissis, caulis exsurgit ad trium & plurium cubitorum altitudinem, viridis, villosus, ramis brachiatus: folia habet ampla, nonnunquam sinuata, latiore basi caulem amplectentia, sensim in mucronem se colligentia, pinguis, dilute virentia, molli lanugine pubescentia: flores in summo oblongi, concavi, patentes, pentagoni, dilutiori purpure rubentes, & ad marginem albicantes: quibus succedunt vascula oblonga, acuminata, interstitio divisa, minutissimo pullo semine referta.* Hæc descriptio

ternas, tum externas, nisi velimus Tabacum pipere longo & pyrethro præparatum intelligere. Cur quæso ad præparationem hujus herbæ summè calida medicamenta requirerentur, si esset summè calida, nisi ut intemperies frigida & malignitas ejus castigetur? de quâ disputatione, an calidum, an vero frigidum sit præparatum Tabacum, paulò post dicemus.

Vires hujus herbæ tales tantæq; sunt, ut varii Authores totos libros de ejus virtutibus conscripserint; imò à nonnullis, omnibus aliis herbis, suis facultatibus & virtutibus, longè antepositur: hinc etiam aliis herba Panacea dicitur, ut Aegydio Everardo. Doctissimus Neander refert, succum hujus herbæ contra Toxica, item contra Elleborum; & Tabacum ad sitim famemq; sedandam, valere. Præsentaneum quasi præservativum à quibusdam contra Pestem perhibetur. Cerebrum, ventriculum, roborat; vires reficit; spiritus & sanguinem ab infectione pestilentiali tuetur, ob suavem & aromaticum halitum: ex fumo enim aromatiziditate quâdam permixto, ac simul cum suavi illo vapore inspirato, spiritus animales & vitales Naturæ operationibus aptissimi regenerantur, inquit dictus Neander. Fumus Tabaci calidus est & siccus tertio gradu, attenuandi, incidendi, exsiccandi, discutiendi virtute præditus; ideoq; fumus ore per tubulum exceptus, crassos, pituitosos, phlegmaticos humores incidit, attenuat, educit, consumit. Singulare remedium perhibetur asthmaticis, phthificis, tussi antiquæ, omnibus insuper morbis cerebri frigidis, catarrhosis, & aliis morbis, de quibus, & quibus morbis proffit, postea in fine addemus.

Vires Tabaci.

Contra Toxica valet.

Famem sitimq; sedat.

A peste præservat.

Qualitas Tabaci.

His omnibus breviter enarratis, ad propositam Quæstionem progrediendum, quæ talis est: *An, & Quæstio.*

quibus, Tabaci fumi succio per tubulum, conveniat, & quibus morbis usui esse possit?

Primum
Quæstionis
membrum.

Triplex erit hujus Quæstionis divisio. I. Cujusnam sit temperiei Tabaci fumus, an calidæ, an verò frigidæ? De sicca hîc non est disputandum, utpote quæ verissima est, & ab omnibus talis statuitur. Qui frigidum statuunt, hæc proponunt argumenta.

Tabacum
frigidum
esse, argu-
mentum

I.

I. Quia fit Hyoscyami species; Hyoscyamos verò omnes frigidos esse, planè notum: id quod probatur ex omnibus Authoribus, & ab effectibus, quos producit. Sicut enim *divinus* dicit *Galenus lib. 8. de simpl. Medic. facult. de Hyoscyamo & Alterco: Cui semen atrum est, insaniam ac soporem inducit; cui verò mediocriter flavum, propinquam ei obtinet facultatem. Utriq; tamen fugiendi sunt, ut deleterii & inutiles. At cui semen & flos est candidus, sanitati idoneus existit, ex tertio quodammodo re-*

Responsio ad
I. argumen-
tum.

frigerantium ordine. Et hæc Gal. Cui argumento respondemus; Hyoscyamos propriè dictos, quales sunt prima, secunda & tertia species *Mathiol.*, virides & recentes has facultates summas refrigerandi obtinere; speciem autem hanc non summè frigidam, sed calidam esse, etiamsi gradus frigiditatis quoq; obtineat. Pro secundo dicimus, etiamsi hoc in viridi & recenti herbâ locum habere possit, nequaquam tamen id in fumo, qui ore hauritur, verum esse. Herba namq; ista vario modo præparatur, exsiccat, & calidis medicamentis coquitur, imbitur, illinitur, ut ipsius qualitas nativa omninò immutata sit.

Nec hoc necessariò verum est, omnes species necessariò ejusdem esse temperiei cum genere: aliàs illecebræ species sedi majoris essent frigidæ, cum tamen sint calidæ in fine tertii gradus; vis enim huic speciei est,

ex-

excalfacere, exulcerare, teste *Mathiol. in Dioscor. lib. 4. c. 86.* Illi verò majori sedo vis inest refrigerandi & adstringendi, teste eodem *Mathiol. in Diosc. lib. 4. c. 84.*

Objiciunt 2. Fumum istum haustum frigidus inducere affectus, nimirum Apoplexiam, Lethargum, Catalepsin, & alios frigidus morbos. Quod itidem verum est in frigidis naturis; sed fumus iste id non efficit per se, sed ex accidenti, humores cerebri crassos, frigidus, humidus, glutinosos, incidendo, colliquando, & ex inferioribus partibus attrahendo, quos humores frigidus fumus iste per se non producit, sed potiùs calidos. Imò experientia ipsa satis superque cum multorum ægrorum pernicie ac damno testatur, potiùs hunc fumum Cephalalgiam, Phrenitidem, Anginam, deliria, febres ardentes inducere, & quidem non per accidens, sed per se; quia fumus iste Tabacalis transiens per poros & meatus cerebri, ad meninges perveniens, cerebrum & meninges calefacit, spiritus ibidem contentos & sanguinem accendit & inflammat, & hoc modo calidos morbos inducit.

Argumentum 2.
Responsio.

Somnum inducere, tertio objiciunt, qui somnus non à caliditate, sed à frigore fit, sicuti ex Physicis constat: id quod etiam *Capiv. ac. l. 1. pr. c. 17.* probat, somnum fieri ab intemperie frigidâ, vel humidâ, vel frigidâ humidâ. Verùm respondeo, & hoc argumentum verum esse, somnum ex nimio Tabaci fumi haustu produci; sed id non fit ratione frigoris, sed ratione facultatis stupificæ: somnus enim non solùm fit à frigore, sed etiam à principum facultatum animalium functionum interceptione, quæ interceptio hîc fit à facultate illâ stupificâ, quæ est in Tabaco. Pro secundo respondemus, per fumum hujus herbæ diuturnum spiritus animales ita contur-

Argumentum 3.
Responsio.

bari, languidos reddi, & consumi, ut exindè languidi facti in somnum incidant: vel dicere etiam possumus, fimum hunc humores inferiores ad caput attrahere, *Instantia.* & sic cerebrum humectare. Ex hac ipsa responsione excipiunt, vim Narcoticam ipsam, quam non à caliditate, sed frigiditate provenire asserunt. Verùm, non sanè hoc simpliciter verum est, neq; in ipso Opio; nam partes illæ acres & amaræ, non frigiditatem, sed caliditatem indicabunt, ut habet *Joannes Mattheus in Centuriâ suâ quæstion. Medicin.* Imo Crocus ipse Narcoticum medicamentum statuitur à *Gal. l. 2. de comp. medic. sec. loc.* ubi Crocum ait suo odore caput ferire, & mentem tentare Peucedani modo; quod tamen Peucedanum *Gal. l. 8. simpl. medicamentor. facult.* excalfaciens est & digerens. Quid quæso de Vino dicendum, nonne & illud Narcoticum statuitur, sicuti id satis experienciâ comprobatum habetur; cùm tamen Vinum ab omnibus statuatur calidum, præsertim Hispanicum?

Calidum verò Tabacum esse, jam modò dicta & proposita satis approbant, imò & plura id comprobant. Primò ergo calidum esse Tabacū, evincit ipsa cura & administratio herbæ viridis, quæ folia frigidis affectibus profunt, uti Cephalalgie, Hemicranie, Odontalgie, Podagricis affectibus, apposita, teste *Joan. Jacobo Weckero in suo Antidotar. special. lib. 1. de fol. glutinant.*

Evincit id ipsum ipsius herbæ præparatio, quæ apud Indos peragitur pipere longo, quod sanè calidissimum est; præparatur etiam aliis calidissimis aromatibus, præsertim in nostris regionibus, (qualia sunt Piper longum, Zinziber, Cariophylli, Cubebæ,) in vino Malvatico vel vino adusto infusis, quemadmodum nostrates facere solent.

Calidum
Tabacum
probans ar-
gumentum

1.

Argumen-
tum 2.

Ipsi affectus calidiores, Cephalalgia, Hemicrania, Phrenitis, Delirium, Inflammatio gulæ, Angina, fitis ingens, ardor linguæ, huic adstipulantur, ita ut huic eventilationi diutiùs inhærendum non sit, ad alteram Quæstionem properando, quæ talis est: *An Tabaci fumi suctio hominibus sit concedenda?*

Argumentum 3.

II.

Quæritur, An Tabaci fumi suctio hominibus concedenda?

Scio, multos, imò maximam hujus Amplissimi confessus partem, mirari, admirari, imò demirari, me hanc Quæstionem tanquam inutilem & futilem tractare, esse planè inutile & futile! Scio, non solùm totum ferè confessum, verùm etiam omnes plerosq; homines Tabaci fumum indignari, abominari, detestari, & ad Orcum ablegandum profiteri; sed quàm benè & quàm rectè, videbimus brevì.

Rationes, ob quas plebeji eum damnant, has dant. Inutile & absurdum, imò stultum & insani hominis esse, fumum ore haurire, & per nares effundere, quo idem efficitur, ac si quis fumum ex fornace vel ab igne inflaret. Jam verò toti terrarum Orbi, imò ipsis Animalibus brutis, planum non solùm, sed & innatum esse, talem fumum averfari, eumq; non solùm oculis, cerebro, pulmonibus, sed & ipsi cordi adversari & nocere, & summè obesse, oculos nimirum feriendo, illis caliginem inducendo, spiritus visibiles interturbando, cerebro irritando, suâ nimirum acrimoniâ, meninges vellicando, & ad sternutationem provocando, pulmonum spirationis organon intercipiendo, ad tussim irritando & provocando. Quis jam adeò dementis & amentis esset mentis, delicias suas in abominando nigro fumo quæritare, cui tot nocumenta insunt?

Argumenta probantia, Tabaci fumum non hauriendum.

I.

Addunt his, fumum hunc faciei colorem vividum & floridum, in viridem, de colorem, fuscum, & subnigrum

Argumentum 2.

com-

commutare, imò sceleti figuram illis inducere; id quod hodierni fumi-cultores suis exemplis satis comprobât.

*Argumen-
zum 3.*

Objiciunt tertio fumum ipsum, quid deliciarum, quid voluptatis, quid virtutis in tali tantoque execrando hujus fumi foetore expectandum esset, qui tali tantoque foetore præditus est, ut viros adstantes in animi deliquia; mulieres verò non solum in deliquia, sed uteri suffocationes injiciat: imò hujus fumi tantus ab illis putatur foetor, ut libentius nares foetidissimo & inhumano, quam Tabaci odore replere vellent.

*Argumen-
zum 4.*

Inferunt, si hujus herbæ foliorum & caulium comestione inebriari, stupefieri, imò etiam mori.

*Argumen-
zum 5.*

Fumum hunc diabolicum (ut nominant eum) mentis stupiditatem & fatuitatem introducere, non multis argumentis comprobandum censent; quia fumus iste spiritus animales interturbat: quod probatur ex vertigine, quia fumus in cerebri ventriculis contentus, necessario etiam spiritus animales secum in gyrum agit, & rapit, & per nervos opticos oculis gyros spiritus communicat.

*Argumen-
zum 6.*

Opponunt præterea, memoriam & ingenii acumen exinde debilitari & labefactari: quia ingenii acumen spiritus pellucidos, claros, & ab omnibus inquinamentis puros ac perspicuos exigit; fumum verò hunc eisdem spiritus crassiores, turbidos, nigriores reddere & inquinare.

*Argumen-
zum 7.*

Objiciunt insuper, fumum hunc non solum spiritus, sed etiam totum cerebrum denigrare: id quod probare conatur ex fumo, qui fornacibus & camino adhærens, suo lentore, crassitie, & visciditate caminum crustam quasi inducit & contignat. Probant idem argumentum au-
thori-

thoritate *Clarissimi Anatomici Pavii*, qui in suâ Osteologia comprobat, à se observatum in sectione quadam Anatomicâ, Lugduni Batavorum habitâ, in quodam malefico, cujus denigratum erat cerebrum inventum, quam denigrationem huic Tabaci fumo assignat.

Ad experientiam ultimò confugiunt, variaq; exempla proponunt morborum & symptomatum, quæ exindè causarum originem duxerunt; qualia sunt, Cephalalgia, Lethargus, Catalepsis, Apoplexia, Phrenitis, Uteri strangulatio, Angina, & alia plurima symptomata. Horum symptomatum confirmationis ergò proponam *exemplum illustre, quod in quodam primario Medico Doctore, cujus nomen honoris ergò reticendum, contigit. Is cum singulis diebus copiosissimo Tabaci fumo delectaretur, ita ut fistula semper impleta studiis suis adesse deberet, is immodico, diuturno & intempestivo hujus Tabaci usu, poculis vini tum Rhenani, tum ardentioris Aq. vitæ, interpositis, & bibitis super suctum fumum, eò valetudinem redegit, ut tandem ex improvise Lethargicus, mox aliquibus diebus interjectis Catalepticus, & tandem Apoplecticus obierit.* Quod exemplum hic appositum volui, ut videant Tabacarii, quantum immodicus & intempestivus ejus usus, præsertim liquoribus calidioribus interpositis & superbibitis, obesse possit. Aliorum gravissimorum symptomatum exempla plura referre possem, quæ tamen brevitatibus studio libens lubensq; omitto, me ad horum argumentorum refutationem conferens.

Ad primum itaq; argumentum, nimirum fumum haurire horrendum esse, respondemus: verum quidem esse, ridiculum videri, fumum, qui ex lignis & igne exhalat, imò quàm maximè stultum, talem haurire:

Argumentum 3.

Refutatio argumentorum.

Resp. ad I.

ast fumum ex herbâ aliquâ paratâ non modò non stultum, verùm quàm maximè sanum; id quod probari poterit ex fumo capitali, Thure, Mastiche, Benzoino, Majoranâ & aliis medicamentis confectò.

Tabaci fumus oculis prodest.

Quòd verò oculis nocere objicitur, non concedimus; ob aromaticam enim vim & siccandi virtutem potius exsiccat & oculos clarescit, lacrymas illorum depellit; vim enim habet aromaticam, incidendi, attenuandi, & exsiccandi, propter quam maximè oculis prodesse poterit: inflammatis tamen oculis interdictum volumus.

Catarrhosis convenit.

Neq; cerebro nocet, sicuti volunt, sed maximoperè pituitosis, catarrhosis prodest humoribus; suâ namq; vi aromaticâ calidâ, crassos, pituitosos, glutinosos, viscidos humores incidit, attenuat; incisos, attenuatos educit; tenues verò frigidos humores exsiccat, & ad effluxum promovet. Neq; vis tanta stupefaciendi & calefaciendi inest, sicuti objicitur, quia vis illa stupificati Peti aromatibus contemperatur, & vis calida, frigiditate herbæ contemperatur, ita tamen, ut potius ad calidam inclinat. Nec Pulmonibus simpliciter nocet, nisi immodicè sumptus & in corpus haustus fumus, præfertim si non rectè sit præparatum Tabacum. Scio quasdam esse species Tabaci, quæ pulmones petant; sed eas species rejicimus, tanquam acrioris, crassioris & terrestrioris substantiæ. Quid si ex herba Peti & ex unguâ Caballinâ Petū prepararetur ad Asthma & Pulmones obstructos? id quod memini factitatum fuisse in Belgio, & quidem prospero & felici cum successu: cui etiâ ratio ad stipulari videtur, si fumus iste per asperam arteriam sorptus Pulmones intret, illam viscidam, crassam materiam incidit, extenuat, consumit, & sic leves

Asthmaticis conducit.

leves arterias obstructas ab obstructione liberat; illis tamen, qui Peripneumoniâ & Phthoë laborant, & qui *Phthificis interdicitur fumus.* catarrhosi sunt ex acri & calidâ tenui materiâ, ob acrimoniam & motum, quæ pituitam & tenues acriores humores promovebunt & augebunt, summè vitandus erit hic fumus.

Secundum argumentum verum concedimus in illis *Resp. ad 2.* celeberrimis Tabaco-sugarum capitaneis, qui totos dies noctesq; totas tubulos ori ad motos fixosq; firmiter tenent, quiq; in hoc fumo hauriendo voluptates, delicias, & quasi summum bonum constituunt: his, inquam, talis fœdus color pro dote relinquitur; in illis verò, qui modicè, & si necessitas efflagitaverit, unâ atq; alterâ fistulâ contenti sunt, neutiquam unquam verum observavimus. Imò testis esse possum, Studiosum quendam optimè mihi notum, 144. fistulas Tabaci uno die, interpositis tamen cerevisiæ poculis, absq; nocumento hausisse, cujus facies adeò florida & rosea est, ut in Tabacario meritò admiranda sit!

Fumum hunc quasi Diabolorum incendium qui- *Resp. ad argumentum 3.* busdam rusticis videri, qui tales homines fumo-suctores Magicâ arte imbutos esse, quòd ignem ore haurirent, hancq; suctionem à Diabolo provenire, putant, non inficias imus, neq; ullas delicias in evanido hoc fumo inveniendas credimus, cum illæ deliciæ aut in sapore, aut in odore quærendæ, qui sapes & odores in quibusdam Tabacis non sunt, optimus tamen eis conciliari potest, si addatur aliquid Moschi, vel de pomo Ambræ, vel de oleo Anisi, quod sæpiùs factitatum vidi, fragrantissimum, suavissimum & gratiosissimum inde saporem & odorem illis conciliari posse. Quòd verò tales rustici, homines Magicâ arte imbutos, cre-

dant, facit raritas visionis, quòd illis nunquam tales Tabaco-fugas videre licuerat; nec à Diabolo provenit, cum potiùs humanum, & hominum fit inventum.

*Deliquium
animi in in-
suetis indu-
cit.*

Deliquium animi, mulieribus suffocationem uteri, vel uteri strangulationem procurare, libenter damus in insuetis; assuetis autem ne hilo quidem nocet, sicuti plus mille in mulieribus observavi: imò ipsas, tum virgines, tum mulieres, absq; nocumento fumum hunc sugere vidis; quasdam tamen mulieres eum odorem tolerare non posse concedimus; sicuti etiam nonnullis mulieribus odor suavis pomi Ambræ, vel alterius fragrantissimi medicamenti, omninò inimicus & hostis infensissimus, ita ut ipsius modico odore, aliàs fragrantissimo, in uteri suffocationem incidant. *Christophorus à Costâ* scribit, *folia probè calefacta, & umbilico, uteriq; regioni imposta, præsens afferre mulieribus remedium in suffocationibus uteri; quòd si (ut fit interdum) animi deliquium subsequatur, & fumus illorum foliorum naribus objiceretur, illicò liberari mulierem ait: quod remedium Indicis mulieribus adeò familiare & vulgare est, ut eà de causâ Tabaci folia diligenter asservent & magnifaciant, quòd sæpissimè illæ Indicæ mulieres uteri affectibus molestantur & crucientur; præsertim verò illæ mulieres animi etiam deliquio sunt obnoxie, quibus deliquis quoq; summo & præsentaneo est auxilio, sicuti extat in manuscripto quodam exemplari, ex Pharmacopœa à aula Stugdiana transcripto.*

Resp. ad 4.

Quòd suis nocet, non inficias imus: sed Tabacum præparatum non est causa, ast herbæ virescentes & caules, quibus caulibus aliqua vis maligna inest. Quid si rejicerem, quædam venena animalibus esse alimenta, hominibus verò venena: idem etiam de Tabaco

co statuendum foret, hominibus nihil, suis summè nocere. Qui velit experiri, sumat canem, inflet illi Tabaci fumum, tunc videbit quidem canem quasi inebriatum, sed egregiè tum per superiora, tum per inferiora purgatum, & à morbo, si quo laboret, curatum fore, quod nos vidisse testamur.

Vertiginem Tabacum inducere, falsum, imò falsissimum est in assuetis: in insuetis, & si plurimum Tabaci hauriatur, vertigo quidem apparet, non diù durans; in momento enim sistitur, si parumper quietus fuerit, præsertim si superbibatur cerevisia, & facies aquâ frigidâ lavetur. Fatuitas ab hujus fumi usu modico causari non poterit, siquidem fumus iste calidus existat, sicuti modò superius demonstratum; fatuitas verò affectio frigida sicca sit, & non nisi à frigidâ causâ, rarissimè à calidâ siccâ intemperie introducatur; prius enim Phrenitis induceretur, quàm fatuitas, teste *Mercurial. l. i. pr. cap. 14.*

Nec memorię officit, neq; ingenii acumen debilitat, verùm memoriã summè adjuvat, & ad ejus stabilitamentum egregiè facit fumus naribus exceptus; peculiari enim ratione dicatus est cerebro, facilèq; in ejus sinus subvehitur, ac id ab omni inquinamento eluet, (est enim cerebrum Pituitæ metropolis, ut docet *Hipp. lib. de glandulis*) inquit *doctiss. Neander*. Neque ingenii acumen debilitat, siquidem spiritus purgat, exagitat, acuit, & agiliores reddit.

Ad celeberrimi Pavii exemplum respondemus, nugas esse, hunc fumum nigredinis causam dedisse, verùm furem summè melancholicum fuisse potiùs statuimus, vel etiam alia medicamenta oleosa admiscuisse, sicuti facit nuxmoschata, rorismarinum, anisum, & alia,

quæ adeò calida, ut suâ caliditate, visciditate & fumi crassitie cerebrum inflammare, idq; nigrum reddere & sanguinem crassum nigriorem educere possint, sicuti in me ipso expertus sum, horum virtutes & facultates sciscitans; idq; feliciùs multò & promptiùs efficere potest talis fumus ex his dictis admixtis, si diutiùs obstructis naribus in capite detineretur & continuaretur. Hoc exemplum similiter exemplis refuto, me plurimos, & non solùm me, sed alios clarissimos Professores & Anatomicos, sectos vidisse, & observâsse studiò, præfertim in Anglicis militibus & aliis celeberrimis Tabaco-φιλῶις, quorum secta cerebra adeò alba & pura erât inventa, ut aliorum cerebra albedine superarent.

Quid de Indis foret dicendum, quorum cerebra non nigra, sed albissima sunt, qui Indi nihil aliud faciunt, quàm per totum diem continuòq; fumum istum sugere? Sanè si Tabaci fumus cerebrum denigraret, certè in his Indis cerebra omnia nigra invenirentur; cui tamen ipsa experientia Indorum refragatur. Quid si nunc contrarium afferrem, senes & alios melancholicos cum totum nigrum excernere, qui per vitam Tabacum non perferre, multò minùs gustare potuerunt, neque possunt; id quod ante menses tres in sexagenario vidi: an in his etiam nigredinis causam Tabaco assignabimus? Sanè malè. Hoc autem dictum, non meum solùm inventum, verùm etiam aliorum Clarissimorum Virorum putatote, qui idem mecum censuerunt.

Resp. ad 8.

Ad experientiam si confugerimus, quot quæso morbi sese offerent, in quibus sine noxâ tutò adhibitum fuit, & adhuc hodiè sine noxa adhibetur? quot quæso sese offerent exempla eorum, quibus profuerit, & quibus adhuc cum fructu in usu est? quales sunt Catarrhosi,

rarrhosi, Cephalalgici, Melancholici, Odontalgici, Asthmatici, alvo duriore pressi, morbo Gallico laborantes, peste correpti, & alii plures morbi: commemoratorum verò morborum fumus per se non causa neq; origo est, sed saltèm per accidens, immodicè nimirum assumptus, præsertim in ætatibus & temperamentis non convenientibus: si etiam vel nimium vini, vel Aquæ vitæ superbiberint, ita ut non usui, sed abusui causa horum morborum & symptomatum sit adscribenda. Ad propositum exemplum respondemus, Medicum illum Tabaci usum immodicè, promiscuè & indifferenter omnibus horis, matutinis, meridianis, vespertinis & nocturnis temporibus adhibuisse, eumque fuisse vini cupidissimum, sicut etiam vini ardentioris amantissimum, ita ut horum calidissimorum vinorum haustum Tabaci suctionibus interposuerit: in immodico igitur abusu causa investiganda erit, non verò in modico usu constituenda.

Ad tertium Quæstionis membrum accelerandum video, in quo declarando brevior ero. Quæstio illa talis est: *Si Tabacum sit calidum*, sicuti etiam est; (de siccitate enim hîc nulla controversia:) & *si hominibus sit concedendum*, quæritur tunc, *quibus sit concedendum, & quibus morbis usui esse possit?*

Omnibus sanè constat, dispositionem morbosam duplicem esse, intemperiem nimirum simplicem vel compositam: utramq; rursus vel sine, vel cum materiâ: illa rursus quadruplex est, vel intemperies calida, vel frigida, vel humida, vel sicca, vel combinata ex calidâ humidâ, vel calidâ siccâ, vel frigidâ humidâ, vel frigidâ siccâ: hæc rursus quadruplex, vel sola pituitosa, vel sola sanguinea, vel biliosa, vel melancholica, vel rursus invicem

III.

Quæritur,
quibus mor-
bis Tabaci
fumus con-
veniat?

quartarium unum, resin. abiegna ꝑij. coquantur ad succi
consumptionem, addendo circa finem radic. arisloloch. ro-
tund. pulverisat. ꝑj. cera nova q. s. F. unguentum.

Calculus
frangit.

In calculo glutinoso maximè celebratur à Clariss.
Dn. Mercato lib. 2. de rect. præsid. Art. Med. usu cap. 7. hujus
herbæ pulvis, ut potè cujus pulvis pondere ꝑ s. cum vino aut
aq. fœniculi aut saxifrag. exhibitus plurimum huic usui
conducere se experientiâ compertum habere scribit.

Vomitorii.

Egregium vomitorium & purgatorium pro rusticis
vel aliis præparari poterit, si folia ficcata & præparata
per noctem in infusione vini optimi stent, & manè co-
latus liquor hauriatur: qualis modus à quibusdam
expertus fuit.

Ex hac herba sancta, varia etiam componuntur alia
medicamenta, utpote *Aq. destillata*, vel *Unguentum*, vel
Oleum, vel *Balsamum*, *salia Chymica*; quorum medica-
mentorum vires ac facultates eadem & plura etiam
curant morborum genera; quorum medicamentorum
compositionem hîc apponere nimis longum foret.
Qui itaque vellet dicta medicamenta præparare, con-
sulat *doctissimi Neandri Tabacologiam*, ubi innume-
ras videbit Remediorum formulas, in omnibus fe-
rè humani corporis affectibus adhibendas. Ne igitur
longior sim in omnibus morbis recensendis & enar-
randis, vela mihi contrahenda video; *quæ tamen omnia,*
in primis de Tabaci fumo hauriendo dicta, non dicta vo-
lumus eis, qui quotidiano & continuo ejus usu, vel potiùs
abusu, semet-ipsos & bonas horas in Tabaci suctionibus
perdentes, & ex cerebro suo, mentis nobilissimâ sede, omnisq;
eruditionis ac scientiæ rapèw, caminum simul & cloacam
efficientes, utile alioquin medicamentum profanant, meri
cinisiones, ut inquit dictus Neander.

Audi-

Audivistis nunc, *Auditores omnium ordinum Magnifici, Nobilissimi, Amplissimi, Reverendi, Consultissimi, Experientissimi, Doctissimi Viri, Vosq; qui adestis, Studiosi & Spectatores præstantissimi, humanissimi*, quid de Tabaco sentiendum, & quomodo & quousq; concedendum: percepistis, ejus moderatum usum prodesse, abusum verò non solum obesse, verum etiam gravissimos & incurabiles morbos inducere: intellexistis, ex remedio alioquin ab omnibus ferè hominibus indignato & detestato, præstantissima, jucundissima & certissima ad omnium morborum genera curanda, optima præparari medicamenta: quæ omnia à mea mei ingenii tenuitate & sobrietate dicta & scripta, ut æqui boniq; consulantur, etiam atque etiam oro
& obsecro.

D I X I.

